



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXXVIII. Vtrum nome[n] significet positium aliquid, an solum
negationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tur cum ente ad ens. Huiusmodi autem
¶ 11. ar. 1 vnum (sicut supra dictum est cum de Dei
 unitate ageretur) non addit aliquid supra
 ens, nisi negationem diuisionis tantum.
 Vnum enim significat ens indiuisum. Et
 ideo de quocunque dicatur vnum, signi-
 ficatur illa res indiuisa: sicut vnum dictū
 de homine significat naturam, vel sub-
 stantiam hominis non diuisam. Et eadem
 ratione, cum dicuntur res multe, multi-
 tudo sic accepta significat res illas cum
 indiuisione circa vnquamque earum.
 Numerus autem qui est species quantita-
 tis, ponit quoddam accidens additum
 supra ens, & similiter vnum, quod est
 principium numeri. Termini ergo nume-
 rales significant in diuinis illa de quibus
 dicuntur, & super hoc nihil addunt nisi
 negationem, vt dictum est: & quantum
 ad hoc: veritatem dixit magister in sen-
 tentijs. Vt cum dicimus, essentia est vna,
 vnum significat essentiam indiuisam. Cū
 persona est vna, significat personam indi-
 uisam. Cum dicimus, personæ sunt plures,
 significantur illæ personæ, & indiuisio
 circa vnquamque earum: quia de rati-
 one multitudinis est, quod ex unitati-
 bus consistit.

Ad primum ergo dicendum, quod v-
 num, cum sit de transcendentibus, est
 communis quam substantia, & quam re-
 latio: & similiter multitudo. Vnde po-
 test stare in diuinis & pro substantia, &
 pro relatione, secundum quod competit
 his quibus adiungitur. Et tamen per hu-
 iusmodi nomina supra essentiam vel rela-
 tionem additur ex eorum significatione
 propria, negatio quædam diuisionis, vt
 dictum est.

Ad secundum dicendum, quod multi-
 tudo, quæ ponit aliquid in rebus creatis,
 est species quantitatis, quæ non translu-
 mitur in diuinam prædicationem, sed tã-
 tum multitudo transcendens, quæ non
 addit supra ea, de quibus dicitur, nisi in-
 diuisionem circa singula. Et talis multi-
 tudo dicitur de Deo.

Ad tertium dicendum, quod vnum
 non est remotum multitudinis, sed di-
 uisionis, quæ est prior secundum rationem,
 quam vnum, vel multitudo. Multitudo
 autem non remouet unitatem, sed remo-
 uet diuisionem circa vnumquodque ea-
 rum, ex quibus constat multitudo, & hæc
 supra exposita sunt cum de diuina unitate
 ageretur. Sciendum tamen est quod
 auctoritates in oppositum inductæ non
 probant sufficienter propositum. Licet
 enim pluralitas excludatur solitudo, &
 unitate Deorum pluralitas: non tamen

sequitur quod his nominibus hoc solum
 significetur. Albedine enim excluditur
 nigredo, non tamen nomine albedinis si-
 gnificatur sola nigredinis exclusio.

CONCLUSIO articuli est. Termini numera-
 les, qui de Deo dicuntur præter illa, de quibus dicitur
 nihil aliud, nisi negationem significant. Quæ qui-
 dem conclusio difficilis admodum est, ideoque
 sequenti disput. ex professo examinanda.

DISPUTATIO CXXVIII.

Vtrum nomen *Vnitatis* significet positi-
 uum aliquid, an solam nega-
 tionem.

*Vnitatem formalem esse solum quandam negationem in
 ente, putat S. Thomas, & alij. c. 1.*

*Rationem formalem unitatis, quæ est passio entis, esse quid
 posituum, probabiliter sentiant Alexand. Bonau. &
 Scot. c. 2.*

Respondetur fundamento prioris sententiæ, c. 3.

CAPUT I.

*Vnitatem formaliter esse solum quandam negationem in
 ente, putant Sanctus Thomas, & alij.*

VT melius examinemus, quæ in hoc articu-
 lo tradit Sanctus Thomas de terminis nu-
 meralibus, vtrum significant aliquid posituum
 in Deo, an solam negationem, oportet primum
 disserere de unitate, vtrum supra rationem entis
 addat rationem aliquam posituiam, an solum ne-
 gationem, quam sane controuersiam de qua su-
 pra quæst. 11. eramus tractaturi, in hunc locum
 referuauimus. In ea igitur i. sententia est sancti
 Thomæ in hoc articulo, & supra quæst. 11. artic. 1.
 & 2. Caietani, & recentiorum Thomistarum ibi-
 dem, Durandi in primum distinct. 24. q. 1. num. 9.
 & quæst. 2. num. 11. & sequentibus, Gabrielis ead-
 dem distinct. q. 1. ar. 3. dub. 3. Capreoli qu. 1. art. 1.
 conclus. 3. Gregori. q. 1. art. 1. in principio, & con-
 clus. 3. Henrici, quodlib. 1. qu. 1. litera A. qui affir-
 mant, formalem rationem unitatis esse negatio-
 nem diuisionis; quare dicunt, idem formaliter
 esse vnum, atque indiuisum. Id autem non so-
 lum ita docent, vt formaliter ratio vnus negatio-
 ne exprimitur; verum etiam, vt nihil respondeat
 huic negationi, tanquam materiale significatum,
 in quo ratio formalis unitatis consistat: sicut vox,
 incorruptibile, negationem significat expresse, &
 tamen ei respondet ratio positiua, vt materiale
 significatum, quam melius per negationem signi-
 ficamus.

Probatur hæc sententia hoc vnico argumento. 2;
 Quacunque ratione positiua remota ab ente, et-
 iam per intellectum, ens semper remanet vnum, *Rat. huius
 sententiæ.*
 ergo nullo positiuo constituitur in ratione vnus,
 nihil autem aliud superest, quam negatio, ergo
 unitas in negatione consistit. Ceterum obseruan-
 dum est, sanctum Thom. solum loqui de unita-
 te, quam vocant entitativam, & quæ solet con-
 sistui passio entis, & in quauis re mundi repeti-
 tur. Nam si de unitate, quæ est principium nu-
 meri prædicamentalis sermo sit, putat ille unita-
 tem addere supra substantiam aliquam rationem
 posituiam, esse videlicet principium numeri. Do-
 cet e-

*Rat. huius
 sententiæ.*

*S. Tho. solū
 loquitur de
 unitate en-
 titatiua.*

cer enim numerum predicamenti quantitatis solum reperiri in rebus quantis: nam in alijs rebus non videtur esse alius numerus, quam per rationem nostram constituentem, & numerantem primam, secundam, & tertiam unitatem: & sic de alijs.

CAPVT II.

Rationem formalem unitatis, quæ est passio entis, esse quid positium, probabilius sentiunt Alexand. Bonau. & Scotus.

EGo vero probabilior esse cenfeo sententiam Alexandri prima parte quæst. 13. mem. primo & 2. Bonauenturæ in primum, distinctione 24. artic. 1. quæstione prima Scoti 4. metaph. quæstione quarta, qui docent, rationem formalem unitatis esse quid positium: tamen eam diuerso modo explicant. Alexander censet, esse conformationem effectus ad primam causam in genere efficientis: nam conformationem ad primam causam in genere causæ exemplaris, & quasi formalis, dicit esse veritatem, & in genere causæ finalis, esse bonitatem, quæ sunt duæ aliæ passionis entis. Ita docuit Alexand. in illo membro 2. Alij vero nullo modo explicant rationem unitatis, sed tantum affirmant, esse rationem aliquam positium.

Est autem hæc opinio meo iudicio expressa ab Aristotele 10. meta. cap. 5. vbi scribit in hæc verba: *Opponitur autem vnum, & multa multis modis, quorum vno, vnum & multitudo, ut indiuisibile, & diuisibile, quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quadam dicitur, quod vero indiuisibile, aut non diuisum, vnum.* Cum autem oppositionis quatuor sint modi, horum alius secundum priuationem dicitur, contraria erunt profecto, & neque ut contradictio, neque ut ea, quæ ad aliquid dicuntur. Quibus cum dicat, quatuor esse genera oppositionum, & ijs numeratis concludat unitatem & multitudinem esse contraria: quis negare audeat, solum opponi priuatiue, ut aduersarij contendunt?

Verum obijcies, etiam dixit Aristoteles opponi secundum priuationem, cum ait *horum alius secundum priuationem dicitur*. Hoc enim genus oppositionis non negauit inter vnum & multa, sicut negauit oppositionem contradictionem, & relationem. Respondeo primum, si eam oppositionem non negauit, saltem non asseruit, solum opponi secundum priuationem: sed cum addidit, *contraria erunt profecto*, quibus verbis enumerauit genus oppositionis contrariæ vnum ex quatuor, quæ esse dixit, expresse sensit opponi contrariæ. Quare si concedimus opponi priuatiue, ita id debemus asserere ut non negemus etiam opponi contrariæ.

Nam quod ait Auerroes in illum locum, ideo Aristotelem dixisse opponi contrariæ, quia ad hanc oppositionem reducit priuatiua, quæ proprie vnum & multa opponuntur, commentitium est. Si enim vnum & multa proprie opponerentur priuatiue, & nullo modo contrariæ, etiam si oppositio contraria ad priuatiuam reducatur, non debebat Aristot. ex quatuor generibus oppositionis, quæ eo loco proposuit, eligere illud, quod proprie unitati & multitudini non conueniebat: & illud magis assensuiter ipsi tribuere: siquidem non satis constaret ex verbis citatis, Aristotelem oppositionem priuatiuam unitati & multitudini assignasse. Quare Sanctus Thomas in eum locum

docet, sententiam esse Aristotelis vnum, & multa opponi contrariæ, cum id verba illius diserte indicent, ideo autem cum præmississe illa verba, *horum alius secundum priuationem*, non ut aliteret vnum & multa opponi priuatiue, sed quia oppositio secundum priuationem, est radix oppositionis secundum contrarietatem: quod an verum sit nostra parum refert: hoc nobis in præsentia sufficiat, ex mente Sancti Thomæ ibidem, vnum & multa iuxta Aristotelis sensum eo loco, opponi contrariæ, quatenus ut diuisum & indiuisum esse dicuntur.

Deinde respondeo his verbis, *horum alius secundum priuationem dicitur*, non asseruisse Aristotelem vnum & multa opponi priuatiue, sed enumerasse vnum genus oppositionis ex quatuor quæ dixit esse, & illud reliquisse tanquam minime conueniens unitati & multitudini, deinde antequam enumeraret reliqua, affirmauit opponi contrariæ, illis verbis, *Contraria erunt profecto*. Tandem recenset alia duo genera, & aperte fatetur, unitati, & multitudini ea non conuenire.

Hanc vero expositionem colligo ex sequentibus verbis, quæ talia sunt: *Dicitur autem ex contrariis ipsum vnum, & significatur ex diuisibili indiuisibile, eo quod magis multitudo & indiuisibile sensibile est.* Quasi dicat, ideo vnum significatur negatione oppositi, cum dicitur indiuisibile, etiam h opponatur illi contrariæ, quia multitudo magis sensibilibus, & nota est, & quia vbi ait paulo inferius, *simplicia & prima, qualis est unitas, melius negatione significamus*, cum tamen eorum ratio sit polita quam etiam rationem reddit Alexander loco citato. Quod ex sententia Aristotelis vnum & multa priuatiue opponerentur, frustra illi objectioni occurrisset. Si enim unitas in negatione formaliter existit, aut in priuatione, quid mirum si nomine negatio significetur.

Difficile tamen videtur, quod initio capituli dixit Aristot. his verbis: *Opponitur autem vnum, & multa multis modis, quorum vno vnum, & multitudo, ut indiuisibile & diuisibile, quod enim aut diuisum, aut diuisibile est, multitudo quadam dicitur, quod vero indiuisibile, aut non indiuisum, vnum.* Cum autem oppositionum quatuor sint genera, & cetera, quæ supra retinimus, quibus verbis videtur Arist. docere, vnum & multa non solum contrariæ, nec priuatiue tantum, sed alijs quoque modis opponi, cum si duobus illis, priuatiue scilicet, & contrariæ solum opposita essent non multis, sed duobus tantum modis opponeretur.

Huius difficultatis vix apud Aristotelem interpres aliquam inuenies factam mentionem, ut ait Sanctus Thomas in eum locum eam leuiter insinauerit. Sensus igitur est, vnum & multa opponi quidem multis modis, non quidem multis oppositionum generibus, quatenus considerantur, ut diuisum & indiuisum, sic enim contra contrarietatis oppositione dixit opponi, sed multis modis, quibus vnum & multa vbi opponi solent, quouis enim modo capiuntur, opposita sunt. Vnus autem est, quo significatur, ut diuisum & indiuisum, & hoc indicauit, cum dixit, *Quorum vno scilicet modo vnum & multitudo, ut diuisibile & indiuisibile*, hoc est, ex varijs modis, quibus capiuntur unitas & multitudo, est, quatenus significatur, ut diuisum & indiuisum, sunt enim alij modi, quibus vnum & multa

In quo differant qui hanc sententiam sequuntur.

Prebatur auctoritate Aristot.

4.

Obiect. sumpta ex verbis Aristot.

Prior solut.

5.

Interpretatio Auerrois alenatur.

S. Tho.

vsuari solent, quos enumerat statim eodem capite his verbis. Ita vnus, quidem est (quemadmodum & in diuisione contrariorum descripsimus) idem, simile, & aquale, multitudinis vero, diuersum, dissimile, & inaequale est, de quibus statim differet, & varias acceptiones illorum affert.

Verum enim vero, si Aristoteles verbis allegatis vellet significare, vnum & multa opposita esse multis modis oppositionis, etiam vt significatur, sicut diuisum & indiuisum, hoc non obstar, quo minus non opponerentur contrarie, vt nos contendimus; imo sequeretur, non solum oppositi priuatiue, vt aduersarij defendunt. Et hæc satis de testimonio Arist. quod iussit omnium quæ afferri possunt, nobis esse debet.

Sed ratione probatur, primum quidem argumento ad hominem. Si enim verum est, vt Sanctus Thomas fatetur locis citatis, vnitatem, quæ est principium numeri in prædicamentis quantitatis, significare aliquid positium formaliter, quod alio modo explicari nequit, quam quod sit principium numeri, cur ergo vnitatis, quam vocant transcendentalem, quæ non solum in rebus quantis, sed in alijs etiam reperitur, non erit formaliter quid positium, quod principium multitudinis esse dicatur. Quod si respondeas, vnitatem numeri, qui est in prædicamento quantitatis, supra substantiam addere aliquid positium re ipsa distinctum, scilicet quantitatem corporis continuam, supra illam tamen nihil positium addere, sed solum negationem diuisionis, & ita, quod ad hoc spectat, eandem esse rationem vtriusque vnitatis, sequitur magnum absurdum, nempe numerum de prædicamento quantitatis formaliter, non nisi priuationibus consistere, quod vero vnitatis numeri qui collocatur in prædicamento, sit in quantitate continua, parum refert, quantitas enim continua non est ratio formalis vnitatis, sed materiale subiectum, alioquin vna species quantitatis secundum rationem formalem scilicet secundum continuitatem, componeret aliam nempe numerum: vnitatis vero consideratur à Mathematico abstracta à quauis materia, & à quantitate corporis: ergo quamuis vnitatis negatione commodius à nobis explicetur propter rationem superius assignatam, eius tamen formalis ratio est quid positium, quod explicari potest per principium multitudinis.

Deinde probari potest: quoniam omnis negatio, quæ est in subiecto nascitur ex aliquo fundamento positium, vt patet inductione: illud ergo formale positium, quod consequitur negatio diuisionis, erit formalis ratio vnitatis: namque, vt sequenti capite dicemus, ens vt ens, vel esse, significatur extra numerum singularem, & pluralem, abstrahitur ab vno & à pluribus: ergo vt ei coniungatur negatio diuisionis, aliquid etiam positium ei accedere debet: alioquin non magis ei conueniret negatio diuisionis, quam ipsa diuisio, & multitudo.

Postremo, si vnitatis est priuatio, aut negatio non potest esse alterius, quam multitudinis: ac proinde prior debet esse multitudo, quam vnitatis: quia prior est natus, quam priuatio: consequens autem est absurdum, quia vnitatis potius est principium multitudinis. Respondent aliqui, vnitatem formaliter consistere in negatione

multitudinis, non formaliter acceptæ, sed pro fundamento: fundamentum autem multitudinis dicunt esse hæc & illam entitatem. Verum hæc solutio friuola est: nam vnitatis non priuat hæc, & illa entitate: alioqui vnitatis, quæ est in Petro, & Ioanne, esset negatio entitatis ipsius Petri, & Ioannis, quæ est multitudo pro fundamento. Dicunt, non esse priuationem entitatum secundum rationem entis, sed secundum rationem huius, & illius simul. Verum hoc nihil aliud est, quam asserere, vnitatem esse priuationem huius & illius entitatis, quatenus diuisa & plures sunt: & ita secundum illam rationem vnitatis erit priuatio multitudinis formaliter; ac proinde multitudo erit prior, quod tanquam absurdum supra inferebamus. Porro autem negationem diuisionis, & multitudinis idem esse; quia multitudo, & diuisio formaliter idem sunt, sequenti disp. patebit.

CAPVT III.

Respondetur fundamento prioris sententiæ.

Ad rationem prioris sententiæ Respondeo, cogitari quidem posse rationem entis præcisa aliqua ratione positium, etiam si non intelligatur ratio vnitatis, aut pluralitatis. Ita enim vnitatis & bonitas sunt passionis entis, vt ens sine illis possit intellectu apprehendi, etiam si cum illis reciprocetur. Quinimo aliter ponitur bonitas passio entis, quam vnitatis: hæc enim sola non reciprocatur cum ente, sed vnitatis vel pluralitatis: bonitas autem sola cum ente conuertitur, & illius passio esse dicitur. Intelligitur autem ratio entis non intellecta vnitatis, nec pluralitate, quoties concipimus ipsum ens, neque in numero plurali nec in singulari, vt significatur verbo infinitiuo, *Esse*: quod si ens alijs nominibus, aut verbis significatur, non potest cogitari, nisi aut sub vnitatis, aut sub multitudine; non ideo est, quia ratio vnitatis sit negatio; nam licet ita esset, posset sine negatione apprehendi, sed quia nomina per numerum singularem, & pluralem disposita sunt, vt significant ens tanquam vnum, vel tanquam multa. Quare idem argumentum contra priorem sententiam confici posset, & eodem modo soluendum esset, nempe quacumque negatione præcisa semper quodlibet ens apprehendi, vt vnum, & singulare, ac proinde rationem vnitatis, non posse in negatione constitui.

DISPUTATIO CXXXIX.

An nomina numeralia significant aliquid positium in Deo.

Due Scholasticorum sententiæ. c. 1.

Nomina numerorum in Deo significant aliquid positium supra singulas vnitates, vtrius opinio est. 2.

Soluitur ratio secunda sententiæ. cap. 3.

CAPVT I.

Due Scholasticorum sententiæ.

EX superiori disputatione non obscure colligi videtur, quid in præsentī dicendum sit, sed quia varie etiam in hac re Scholastici senserunt, eorum placita recensere opere præmium erit.

Magister